



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV**

**Muret, Marc-Antoine**

**Antverpiæ, M. D. LXXXVI.**

Cap. 19. Ciceronis locus ex Isocrate, vt videtur, imitatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

verbis, ut potuerint) non tamen cognouerunt omnium sententias: sed in dicta causa condemnatis aliis, vni auctoritatem sunt secuti. de rebus autem neque auditis neque cognitis recte iudicare nemo quamlibet sapiens possit.

*Ciceronis locus ex Isocrate, ut videtur, imitatur.*

## CAPVT XIX.

**I**SOCRATES cum Euagoræ laudationem ad Nicoclem eius filium mitteret, principio vsus est pereleganti, valdeque ad ornandum ac commendandum munus suum accommodato. putare enim se dixit, si quis eorum quæ hîc fiunt, sensus ad mortuos perueniret, nihil posse ipsi Euagoræ accidere optatius, quam ut res ab ipso præclare ac fortiter gesta eloquentis alicuius hominis voce, ut ipsarum dignitas posceret, celebrarentur. non erat autem dubium, quin plurimi facturus esset filius id, quod ipsi patri, de quo omnibus modis ornando cogitabat, probatum iri existimaret. per bono igitur, perque apposito argumento vsus est rhetor ille, cum, cuius laudes oratione sua complexurus erat, eius ipsius ea de re, quatenus licebat, iudicium ac sententiam protulit. Vidit id, qui Isocratis libros diu in deliciis habuerat, multaque de floribus illius corollas sibi texuerat, Tullius. itaque cum in senatu ageretur de Ser. Sulpicij statua, quam pedestrem statui oportere censeret: eandem illam Isocrateam rationem adhibuit: ut non immerito credi possit, cum Isocratis locum ipsi tum in mentem fuisse. Vtriusque verba ponam, ut conferre liceat.

Isocrates, ἡγνοῶ μιν Εὐαγόραν, εἰ τις ὄσιν ἀδελφοῖς τοῖς τελευτήσοις, ἀπὸ ἐπὶ ἐν δαδὲ γυγνομένων, διμενῶς μὲν ἀποδίδωκε καὶ τὰ ἅπαντα, καὶ χαίρειν ὀρώγῃ τελευτῆσιν αὐτῶν ὁμοίως.

καὶ ἔτι οὐ μὲν ἀποφραγμένην: πολλὸ δ' αὖ ἐπὶ πλείοις χέ-  
 ρεσιν ἢ τοῖς ἄλλοις ἀπαισιν. & quæ sequuntur. Cice-  
 ro, *Mibi autem recordanti Ser. Sulpicij multos in nostra  
 familiaritate sermones, gratior illi videtur, si quis est sen-  
 su in morte, aenea statua futura, & ea pedestris magis,  
 quam inaurata equestris.* Subiicit deinde vterque ora-  
 tor rationes, quibus verisimile efficiat, cum illorum  
 fuisse sensum, de quibus honestandis agebatur.

*De quodam loco è secundo De finibus, neque Manutij,  
 neque Victorij sententiam veram videri.*

## CAPUT XX.

CICERO lib. secundo De finibus aduersus Epi-  
 curi sententiam disputans, qui in constituendis,  
 conseruandisque amicitijs suam quemque vtilitatem  
 sequi debere affirmauerat: cum aliis argumentis vti-  
 tur ad eam opinionem labefactandam, tum hoc quo-  
 que: quòd ista ratione suas quisque possessiones plu-  
 tis facere deberet, quam amicos: cum ex illis vberes  
 certique plerumque fructus, ex his damna & mole-  
 stia non parùm sæpè capiuntur. His autem verbis  
 Torquatum, quem ab Epicuro dicentem fecerat, al-  
 loquitur: *Num igitur vtiliorem tibi hunc Triarium putas  
 esse posse, quam si tua sint Puteolis gramina?* quæ verba  
 iam pridem diligenter ponderans Paulus Manutius  
 iudicauerat, aliquid vitij subesse in voce, *gramina*:  
 ostenderatq. se suspicari, pro *gramina* legendum pra-  
 dia. Multis annis post, P. Victorius lib. vi. Variarum  
 lectionum, vulgatam scripturam defendere conatus  
 est, planeque pronunciauit, eam mendo carere.  
 Duobus autem argumentis id probat. primùm, quòd  
 gramen non tantum valeat certam herbam, quam  
 ἄριστον Græci vocant, sed alias etiã ostendat, ex quibus  
 M 4 scenum

at. Manuti  
 via Lectiones  
 LIII  
 25